

Καὶ οὐ δ'αὐτοῦ οὐδὲν ἐκτὸς, οὐδ'αὐτὸς οὐδενὸς.

“Et extra ipsum, quidquam, et ipsum extra quidquam.”

Sed quo modo tandem secunda produxit entia? Suo forte statu, ex se ea deprompsit. Illa vero ab eo sunt dimota, ipso manente? Ac depromptio, actio quædam est. Actio vero, motio. Ergo etiam movetur. Motum ergo et statum in se habet? Statum ne prius? Motum postea? Redit ergo in idem quæstio? Nequaquam. Sed in eo, status movetur, et motus stat. Et quod in eo movetur, aut ab eo, stabiliter movetur, et quod stat, mobiliter stat. Nempe manet ipsum. Manensque fœcunditate sua de se omnia extrahens, et extra se proferens; promit de se ipso, manens ipsum quod erat prius. Quo enim modo, minus fiat, quam unum? Aut quo res, quas de se promit, extra ipsum abeant, cum ipsum sit ubique. Et producta omnia, adhuc in se contineat? Neque ergo exinanitur suis primis illis: neque se evacuat, ut minus fiat quam unum, aut minus, quam omnia. Neque e se uno, aut plenitudine suæ omnitatis quodquam discedit, neque in multa scinditur. Lux sane Solis, radios e se emittit neque tamen ipsa, lux minor evadit. Ignis promit de se calorem, non tamen minorem quam prius, imo eundem sibi retinet. Ita Primum, ita Principium, ita Unum, ita Bonum, ita Deus, nihil diminuta, aut primitate, aut principitate, aut unitate, aut Bonitate, aut Deitate sua, produxit omnia, nulla materia coadiuvante. Imo ex se, deprompsit ipsam etiam, et extra se protulit. Protulit autem, quia unum: ut inde multitudo rerum gigneretur. Protulit ob bonitatem, ut multitudo, et numerus is, entia esset, et non entia, nequaquam esset. Nam hæc in se retinuit, ut quando vollet, proferat, et quando noluerit non proferat. Itaque unum, in rerum secundarum productione, non progreditur extra se, neque movetur. Sed dum illas, profert, et illæ de eo progrediuntur, ipsum manet in se ipso. Illæ vero actione ex hyparxi illius prodeunt, et emanant; non aliter, atque aqua e suo emanat fonte, ipso quidem immoto, sed aquam proferente: aqua vero mota, et inde scaturiente. Quid ergo, si immotum est, et in se ipso manet, producere non videtur? Productio, actio: et actio, motio est. Vel et movetur, et non movetur? Et producit, et non producit? Et efficit res, et non efficit, modis suis scilicet ineffabilibus. Non efficit quidem, quia iam in se existentes, a se tantum discernit. Efficit vero, quia eas de se profert, et ipsæ ab eo, profluunt. Videtur ergo prior quæstio redire? Per se ne ipsæ, ab uno prodeunt? An causam aliam suæ prodictionis habent? Certe, vel a se ipsis, vel ab alio, vel ab uno ipso producuntur. Ab alio quidem, minime dicendum. Quid enim uno prius? Aut uni par? Non a se ipsis, nisi quatenus producenti non resistunt; et assensum suæ productioni pandunt. Unum tamen eas de se profert: bonitatis suæ necessitate ad id actum, simul alteras a se, et a sua omnitate efficiens, ut non identitatis horum cum illis, sed alteritatis harum ab illis, causa fieret. Quæ causa nulla alia fuit, quam ipsa rerum ab eo progressio, et proditio. Omnis enim proditio, seu promanatio, cum secretionem est. Omnis autem secretio ab uno, multitudinis est causa. Et quando in uno incipit multiplicatio, tum proditio succedit. Sed si unum, non est id, quod secretionem faciat, a qua multiplicatio fiat, et ab hac proditio, quid nam, id fuerit? Certe non alia quam potentia ea de qua diximus, inter unum, et ens media. Nisi enim hæc interveniret, productio non fieret. Sed quis hanc potentiam movit, ut se secretionem faceret? Eorte non aliud quam bonitas. Nisi enim hæc illam, moveret, ut omnia a se secerneret, et omnia de se promeret, ut omnibus se se communicaret, invidia tangi videretur. At quæ invidia in simplicissimo? Quæve passio in perfectissimo? Bonum ergo ipsum non qua unum, sed qua bonum, se secretionem rerum secundarum ab unomni, a primis, primissima est causa. Secretio vero est causa multiplicationis. Multiplicatio progressionis. Exemplo id fiat manifestum. Centrum circuli, unum et indivisibile est. In eo uno termini sunt linearum omnium ab eo prodeuntium, inter se in ipso, minime distincti. Ab eo lineæ prodeunt innumeræ, inter se iam distinctæ, ad circumferentiam usque, quæ in centro indiscretæ erant omnes. Dum tamen a centro secernuntur, multiplicantur: et dum multiplicantur, prodeunt ab uno; prodeutes, ab eo discedunt. Discessus hic, post centrum est. Eiusque causa, centrum non est. Sed ex illo fluxus quidam, quo lineæ ab illo, et secernuntur, et multiplicantur, et prodeunt, et discedunt. Neque